

TRACTATUS  
DE TESTA-  
MENTARIIS SVC-  
CESSIONIBVS, QVIBVS MODIS  
VLTIMA IVDICIA HOMINVM SOLENNITER  
ordinentur, vt rata censenda sint vel solenniis præter-  
missis irrita habeantur.

ADIECTVS EST TITVLVS,  
*Quomodo ex pacto hereditas acqui-  
ratur.*

AVTORE HERMANNO MEYRER,  
Iurisconsulto & Consule Embdano.  
*Cum Indice rerum ac verborum locupletissimo.*



FRANCOFVRTI  
Typis Nicolai Hoffmanni, impensis Ionæ  
Rhodij, Anno

---

M. DC. VIII.



ILLVSTRISSIMO

PRINCIPI, ET RESPE-

CTIVE COMITIBVS ILLVSTRIBVS DO-

minis Mauritio, principi Auaicæ, & Guilhelmo Ludouico,

Comitibus de Nassau, Cattenelbogen, Vianden & Dietz,

&c. & Dominis in Beylstein, etiam Gubernatoribus Duca-

tus Geldriæ, Hollandiæ, Selandiæ, atque Frisiæ, Groningæ,

eiusdemque circumiacentium agrorum, nec non & genero-

sis, nobilibus, amplissimis Statibus atque Gubernato-

ribus Prouinciarum confœderatarum

Belgicarum, S. P.



ILLVSTRISSIMI Principes

ac Comites, nec non & nobilif-

simi, potentissimi ac amplissimi

Domini Gubernatores, fœli-

cem & fortunatum populus se

æstimare potest, cui ex diuina

prouidentia huiusmodi Reges, Principes &

Gubernatores cōtingit habere, qui tali rerum

scientia & virtute præditi sunt, vt vtroque tem-

pore pacis & belli gubernaculis Reipublic. ita

\* 2 præesse



AMPLISSIMIS ET  
PRVDENTISSIMIS VIRIS ET  
DOMINIS CONSVLIBVS, SENATORIBVS AT-  
que quatuordecemuiris ciuitatis Emdanæ,  
S. P.

**H**X rerum testimoniis & scriptoribus, amplissimi viri, no-  
tum est, gentem Friscam esse antiquissimam, qua nomen  
sibi à primordio inditū semper immutabile retinuit, cuius  
maiores seruitutem nunquam subierunt, atq; omni tempo-  
re libertate pristina freti, suarumq; rerum administratio-  
nem semper liberam habuerunt, qua de causa ius testandi ab antiquita-  
te apud Friscos fuit in magna obseruatione, & adhuc habetur. Quo eue-  
nit, ut vix simplex operarius vita decedat, qui non de rebus suis, utcum-  
que sint exigua, dispositionem faciat, heredemq; instituat, per quem se  
mortuo in bonis ipsius voluntas adhuc aliquam regnandi habet dele-  
tationem. Verum ut ista delectatio regnandi heredi acquiratur, vo-  
luntatem testatoris solennitatibus à iure publico introductis munitam  
& stabilitam esse oportet, atqui non raro proximi successores ab intesta-  
to contra defuncti voluntatem & dispositionem insurgunt, excipien-  
tes, quod ex defectu solennitatum instituto heredi successio competere  
nequeat, & pro se stare & militare ius sanguinis, quod est immutabile.  
Nec desunt utriq; parti opiniones Dd. quibus suam intentionem sati-  
gando stabilire conantur. Quod cum ante aliquot annos, successioni-  
bus testamentariis occupatus ad causas decidendas aduertì, quasdam  
questiones in usum meum in locos communes congeffi, qua postea mihi  
vise sunt, ut & aliis vsui esse queant, augendo in certos titulos redegei,  
typis committi curavi, non quod per illas aliorum Dd. glossematibus &  
opinionibus quicquam derogatum esse velim, sed retenta Imperatoris  
Iustiniani sententia, non esse respiciendum ad multitudinem auctorum,



# LIBER PRIMVS, DE TESTAMENTIS ORDINANDIS.

## TITVLVS I.

### SVMARIA.

1. *Iusta sententia quo ad essentiam testamenti habenda, cui inest heredis institutio.*
2. *Heredis institutio vim & effectum habet, vt per illam attribuaturs ius succedendi heredi in locum defuncti.*
3. *Voluntas testatoris corpore exincto habet adhuc aliquam delectationem in bonis regnandi.*
4. *Nulla persona propius defuncto accedit, quam heres, cuius causa est iustissima.*
5. *Testamentum pra aliis speciebus vltimarum voluntatum primum locum obtinet.*
6. *Testamentum solennitatibus iuris est stabiliendum, vt ad omnem actum contradictionis sit equipotens.*
7. *Facultas testandi cuique libera est, modo sui iuris sit, & decimum quartum annum impleuerit.*
8. *Homo est omnium actonum principium, consiliumque eius versatur in his, quae ab ipso agi possunt.*
9. *Voluntas est deliberatio animi intelligentis, & est causa efficiens instrumenti condendi.*
10. *Nihil magis naturali equitati est consentaneum, quam iusta voluntate rem suam in alium transferre.*
11. *Solennitas est duplex: alia est intrinseca, alia est extrinseca. Intrinseca praesumitur actui interuenisse, extrinseca non praesumitur interuenisse, nisi probetur.*